



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Observationes in Divisionem hujus Libri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

quem *Tertia* communicare prohibet. Omisit in *Quinta* restrictionem magni momenti; nempe si periculosum sit.

QUÆSTIO VIII.

Inter Regulas circa consecutiones hujus Judicii, multæ pertinent ad *Sextam*: tales sunt eæ, quæ circa pœnas versantur; porro, major ipsorum pars reducitur ad pœnas proscritionis Bonorum aut Excommunicationis; hæc tamen *Quæstio* non est inutilis, cum alterius defectum suppleat.

REGULA VII. & XX. quæ dicunt Sacrificia oblata, & Sacramenta administrata ab Hæreticis, esse nulla, expositione indigent. *Reg. I.* includitur in ultimâ *Quæstionis VII.* nam executio Judiciorum contra Hæreticos, unum est ex auxiliis, quibus Magistratus Ecclesiasticum Judicem juvare debent quoad Hæreticos.

Juxta *Regul. XX.* Hæreticorum conditio pejor est, quam Excommunicatorum; quibus appellatio conceditur; iis enim sua defensio permittitur. Appellatio autem est defensionis species.

REG. III. IV. & V. pertinent ad proscritionem Bonorum, quæ solâ Principis autoritate decerni potest; idem est de privatione Paternæ Potestatis, de qua loquitur REG. XXII. REGULÆ VII. X. XII. XIV. XVII. XX. pertinent ad Excommunicationem, quæ privat iuribus, à quibus illæ Hæreticos excludunt. *Sexta*, quæ statuit pœnas in *Inquisitores* ab officio recedentes, una est ex iis, quæ versantur circa adjuncta Judicii in Hæreticos. Idem est de XXI. loquente de Privilegio Cruciatorum contra Hæresim.

REG. XI. quæ vim in Hæreticos adhiberi prohibet, iisque sua bona adimi sine causa, valdè adversatur ei, quam retulimus, agendo de Excommunicatione; quâ occisio Hæreticorum permittitur. Textus hic laudatus observationem nostram in *Regulas III. IV. & V.* confirmat, nempe in eo, quod Hæreticorum punitionem temporalem spectat in eorum Persona, Bonis, & iuribus, Legibus Civilibus inhærendum esse.

REG. XVI. sumpta è *Capite 4. de Hæreticis*, ferens, Libros ejus, qui damnatus est, unâ cum eo damnatos esse, restringi debet ad Libros, in quibus agitur de Argumento, circa quod erravit; hæc enim damnatio cadit solum in Errores, propter quos damnatus est; alii Libri forsitan boni sunt, & ad eos Damnationem extendi iniquum est, quæ, cum sit odiosa, ab uno Casu ad alium extendi non debet.

QUÆSTIO IX.

Agens de remediis subsidiariis accusationi Hæreseos, unum tantum affert huic Judicio peculiare, scilicet *Primum*, seu Vistationem annuam ad inquisitionem contra hoc Crimen: aliud, quod est Purgatio contra Personas suspectas, Crimini cuilibet commune est.

OBSERVATIONES in CAP. XVIII. de HÆRESI *speciatim sumptâ.*

Sub verbo *Hæreseos* Autor complectitur *Judaïsmum*, *Mahumetismum*, *Apostasiam*, *Hypocrisim*, perinde ac Hæresim. Quamvis in Corpore Juris nominatim commemoretur magnus Hæreticorum numerus, *Manicheorum* tantum & *Beguardorum* mentionem facit Autor, ob rationes, quæ difficilè divinari possunt. Quod dicit de Hypocritis QUÆST. VI. tres specialiter Schismaticos ibi nominatos spectat. Itaque Schismaticos cum Hypocritis confundit; vel sub eodem vocabulo comprehendit. Inter *Manichæos* & *Beguardos*, APOSTATAS locat. Hæ Generales Observationes in hoc Caput, crebram observationem confirmant: nempe Autorem distinctam Argumentorum, de quibus disseruit, ideam non habuisse. Ex Observationibus, quæ fiunt in singulis *Quæstionibus* & *Regulis* subjectas, percipietur, eum perinde fuisse rudem Methodi distribuendi in Regulas Juris Canonici; major quippè fructus ejus Methodi est, complecti sub Regulis quascumque res, quibus applicari possunt.

Tom. I.

QUÆST. I. de JUDÆIS & SARACENIS.

Prima Regulâ circa prohibitionem Matrimonii inter Christianos, & Judæos, locum habet in Mahumetanis, in Paganis, in Hæreticis, in Apostatis. Idem est de *Sexta*, quæ committi Judæis Officia publica vetat, & quidem Paganis applicatur in QUÆST. II. REG. III. *Secunda* Judæis inhibens, ne Christianos, sive facto, sive verbo contemnant, extenditur ad Mahumetanos, Paganos, Apostatas, quibus in Provinciis Christianis habitare conceditur. Quod dicitur in REG. III. Judæos & Saracenos prohibendos non esse, quominus Cœrimonias suas peragant, Festaque celebrent in Locis, ubi ipsis habitare licet seorsim, aut promiscuè cum Christianis, extenditur ad Hæreticos, quoad Provincias, in quibus Hæresis toleratur: quoad Saracenos observanda est restrictio, quam CLEMENT. de *Judæis* apponit, vetando, ne ipsis invocatio publica Mahumetis permittatur, nihilò magis quam Processiones ad Loca, in quibus aliquis eorum, quem *Sanctum* nuncupaverint, sepultus est. In *Quarta* duæ res interdiciuntur ergà Judæos; 1. Vis in ipsos. 2. Coactio ad suscipiendam Religionem CHRISTI. Utraque Definitio locum habet ergà Mahumetistas & Paganos, ubi cum Christianis habitant. Idem est de subjectis exceptionibus, 1. De Casu, quo Fidem amplexi fuerint. 2. De Casu, quo vim Christianis intulerint. In *Septima* Judæis interdicitur Constructio novarum Synagogarum, & permittitur collapsarum Re edificatio; utrumque applicari potest Mahumetanis, Paganis & Hæreticis, ubicumque ipsis inter Christianos habitare licet.

Nona, quæ prohibet, ne Bonis suis spolièntur Judæi, qui Baptismum acceperint, habet locum in cæteris Infidelibus prædictis. Perinde est de REG. X. & XI. quæ vetant Judæis Servos Christianos habere, famulise Christianis uti. Dicendum est de Servis Mahumetanorum aut Paganorum, quod dicitur REG. XII. de Servis Judæorum, ipsos per Baptismum liberos fieri.

REG. XV. Judæorum prædia Decimarum præstationi subjiciens, locum habet ergà Bona cæterorum Infidelium inter Christianos commorantium. Præceptum *Regulæ XVII.* circa separationem Liberorum Judæorum à Parentibus, extendi potest ad Liberos aliorum Infidelium Christianam Religionem non colentium.

QUÆSTIO II. de PAGANIS.

REGULÆ I. & II. ferentes, eos, qui Judæis prædicant, uti posse alimentis sibi ab illis oblatis, Virisque ad id Munus idoneis concedendam esse prædicandi licentiam, ad reliquos Infideles applicanda est.

QUÆSTIONES III. IV. V. de MANICHÆIS, APOSTATIS & BEGUARDIS.

Nihil hic attentione dignum est, nisi BEGUINAS non comprehendi in Damnatione *Beguardorum*.

OBSERVATIONES in CAPUT XIX. de USURA.

Autor in *Quæstione I.* loquens de rationibus accusationis hujus criminis, duas refert, quarum *Secunda* falsa est; scilicet, omne commercium aut negotium est illicitum, omnis negotiatio prohibita est.

Indè transiens ad *Secundam*, in qua discutit causas, quo verbo intelligit peccata, quæ hujus accusationis Materia sunt, Usuram inter causas numerat, quod tam absurdum videtur, quam si dixisset, Usuram esse primam causam accusationis Usuræ: tùm ipsam definit, dicendo, eam consistere in aliqua re ultra sortem principalem.

Secunda est, si aliquid ultra sortem exigatur, quod mera repetitio est.

Tertia Causa est, si is, qui mutuò dedit sine stipulatione fœnoris, reddere nolit parabolam Juramenti, nisi qui mutuò accepit, sibi præter pecuniam mutuò datam, aliquod emolumentum præstet. Verba hæc, *Parabolam* &c. expositione

Aa 3 indigent,